



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 105. Soluto Cleri conventu Rex inde discedens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

---

§. CV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

---

*Soluto Cleri conventu Rex inde  
discedens.*

Die septima Maji summus Pontifex misso diplomate Episcopis hunc in modum respondit: „vobismetipsis imputate, si gravius onus vobis est impositum; nunquam enim sacra Sedes consentiet, ut plus solvere adstringamini, quam solvendo pares estis, dummodo vos ipsimet plura non offeratis, nec nos, nec nostri Successores ad omnus haud tolerandum assentiemus.“ Postea Præfules, cum conventum solvere pararent, die tertia Junii Regem valere jubent, Petro Villario Vienensi Archiepiscopo verba faciente: ceterum ejus oratio, quæ admodum prolixa erat, præcipue hos articulos complectebatur: innovabat præprimis easdem querelas jam in prioribus colloquiis delatas, dein vero Regi supplcabat, ut Tridentini Concilii promulgationem urgeret, electionum jura restauraret, Clerumque ab onere, quo prætorios reditus solvere tenebatur, liberaret. Attamen insuperhabita hac petitione pactum hoc ad aliud decennium firmabatur: denique Lingonensis Decanus in pleno Præfulum confessu statutum contra fiduciarios prælegebat,

quo

**Sæcul. XVI.** quo fuit decretum, ut Episcopi trans-  
A.C. 1585. missis literis ad servandam Tridentini  
Concilii disciplinam, atque ad confe-  
rendas **Cathedralium**, & Collegiata-  
rum Ecclesiarum dignitates moneren-  
tur: tandem fanciebatur, ut rerum Pro-  
curatores Doctoratus gradu insignes,  
vel in jure Canonico, aut in Theologia  
Licentiati essent. His peractis Comi-  
tia solvebantur.

### §. CVI.

#### *Explicatio doctrinæ per Facultatem Lovaniensem Pontificis Nuntio porrecta.*

**Act. Deca-**  
**nat Walii**  
**Bajana t. 2.**  
**pag. 161.**

Interea Lovanii Lensius Doctor ad Nuntii mandatum doctrinæ explanatio-  
nem elucubrabat, eamque, prout jussus  
erat, cuiuslibet Facultatis Doctoribus tradebat, ut suam quisque sententiam  
hac super re ediceret: postquam vero  
quædam addita, ac alia emendata fue-  
rant, Wallius Decanus illam elaborare, ac  
Nuntio porrigitere studuit: erat autem  
huic lucubrationi sequens titulus: *Br-*  
*vis, atque suo ordine, quantum fieri po-*  
*tuit, distincta doctrinæ explicatio, quam*  
*quorundam articulorum condemnatio ex-*  
*gere videtur, composita a Veneranda Fa-*  
*cultate Theologica Lovaniensi, juxta me-*  
*tem, & mandatum illustrissimi Joannis*  
*Bonhomii Vercellensis Episcopi, atque in*  
*supr.*